

**1980-06-19 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Constat Christifideles’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

**CONSTAT CHRISTIFIDELES**

**BEATA MARIA VIGO VULGO «NUESTRA SEÑORA DE LA MONSERRATE»  
NUNCUPATA PRINCIPALIS APUD DEUM PATRONA  
DIOECESIS MAIAGUEZENSIS IN PORTU DIVITE CONFIRMATUR**

Ad perpetuam rei memoriam. Constat Christifideles Ecclesiae Maiaguezensis in Portu Divite gloriosam Deiparam Virginem Mariam, vulgo «Nuestra Señora de la Monserrate» appellatam, summis honoribus excolere, constanti amore diligere, benignissimam Matrem habere. Cum igitur Ven. Frater Ulixes Casiano Vargas, Episcopus Maiaguezensis, nuper petierit ut electio Beatae Mariae Virginis sub titulo «Nuestra Señora de la Monserrate» ut Patronae principalis suae dioecesis, clero et populo optante, a se rite probata, ab hac Apostolica Sede confirmaretur, ad normam scilicet «Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, Vos cupimus tum Pastoris, quem diximus, votis concedere tum egregiam pietatem istius catholicae communitatis in praecelsam Dei Genitricem peculiari benevolentiae Nostrae documento commendare aptiusque augere. Comprobatis ergo iis, quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, factis a Nobis facultatibus, hac in re egerit, de summa Nostra potestate, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem sub titulo «Nuestra Señora de la Monserrate» principalem apud Deum Patronam dioecesis Maiaguezensis confirmamus, omnibus adiectis iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus. Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque effectus sive nulle sive in posterum habeant. Contrariis quibusvis non obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIX mensis Iunii, anno MDCCCLXXX, Pontificatus Nostri secundo.*

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*